bilem, quē iterū & fuſius perſequemur inferius A tractando de intelligentiis creatis: tamen ille diſcurſus non fundatur iam in ſolo motu phyſico & locali, ſed partim iuuatur ex doctrina de anima, & partim ac præcipuè nititur in hoc principio, ꝙ intellectualis forma non vnitur materiæ, niſi vt iuuetur eius miniſterio ad intellectuales operationes, quod principium metaphyſicū eſt: & ita illa oſtenſio, qualiſcunque ſit, eſt Metaphyſica, quamuis ad eam paretur via aliquo modo ꝑ diſcurſus phyſicos, non quidem euidentes, ſed ad ſummum probabiles, vt declaratum eſt.

XVI. Atq; hæc quidem generatim procedunt de ſubſtantiis mouentibus cælos: ex quibus à fortiori cōſtat ex vi ſolius motus cæli concludi nō poſſe dari aliquod primum ens immateriale, & increatū, nam motus cœli de ſe ſolum ducit vſq; ad proximum aliquem motorem cœli, in quo ex ſe non requirit & conſequenter neq; oſtendit illas perfectiones, vt declarauimus: ergo neq; ex illo motu, neq; ex aliquo effectu phyſico poteſt inueſtigari, an ille motor ſit vnus in omnibus cælis, vel plures, & ſi ſunt plures, an omnes reducātur ad vnū B primum, à quo pendeant, vel aliquo modo moueantur, & quo genere motionis: ergo multo minus poterit ex motu cœli colligi eſſe aliquod primum ens, in quod perfectiones illæ conueniant: ſed oportebit ſemper aliquod medium metaphyſicum adiungere, quo id concludatur.

XVII. Quod ergo quidā aiunt, licèt ex motu cœli abſolutè non cōcludantur illæ proprietates in quocunque motore eius, concludi tñ in eo, qui ex ſe & virtute propria mouet cælum, quod. n. ex ſe, & virtute omnino propria mouet, ex ſe etiam eſt & ideò increatum eſt, & conſequenter immateriale: hoc (inquam) non eſt ad rem, nam hæc probatio, qualiſcunq; ſit, non eſt phyſica, ſed metaphyſica: nā tota vis illius probationis conſiſtit in illo medio, mouens ex ſe, quod ex ſolo motu nō habetur, nam motus quidem oſtendit in motore virtutē mouendi, an verò habeat illam virtutem à ſe, vel ab alio, & an operetur per illā cum dependentia, vel ſine dependentia ab alio, nō oſtenditur ex ſolo motu, & rurſus quō ex illa proprietate mouendi ex ſe, colligantur aliæ proprietates, multo minus poteſt ex motu aut medio phyſico inueſtigari, ſed metaphyſicis principiis vtendū eſt: cuius ſignum manifeſtū eſt, quia ex omni cauſalitate effectiua poteſt eadē conſecutio fieri ad causā C ex ſe efficientē, quæ ex ſe abſtrahit à phyſico motu & ab efficientia ex materia, vel ſine illa. Igitur ex ſolo motu cœli nulla eſt ſufficiens via ad huiuſmodi demonſtrationem conficiendam.

XVIII. Secundum medium deſumptum ex operationib. animæ rōnalis, & ipſius eſſentia.

Aliud medium, ſeu alia via, ſumi poteſt ex operationibus animæ rationalis, & cognitione ſubſtantiæ eius, quæ ab illis deſumitur: in reb. enim quæ materiam concernunt, nulla eſt aut ſimilior Deo, aut immediatius ab eo pendens in eſſe & operari, quā anima rationalis: & ideò nullo phyſico medio videtur magis poſſe cognoſci Deus, quā contemplatione animæ rationalis, & operū eius, conſtat autem hoc medium phyſicum eſſe: nam licèt anima rationalis immaterialis ſit, eſt tñ forma materiæ, & ſimiliter operatio eius licèt in ſe ſit ſpiritualis, aliquo tñ modo pendet à corpore, & iō conſideratio animæ coniunctæ corpori, & operationum eius ad phyſicum pertinet.

XIX. Veruntamen hæc ēt via deſeruire non pōt ad demonſtrandū aliquid de Deo, niſi ſupponendo aliquid in metaphyſica demonſtratū, & vtendo ſp mediis & principiis Metaphiſicis ad rē vltimò concludendā. Niſi. n. ſupponamus rationalē animā habere autorē ſupremū, à quo procreata ſit, non poterunt ex perfectionib. animæ, ſimiles aut meliores in Deo colligi. Quòd aūt anima habeat huiuſmodi cauſam, non pōt à Philoſopho ex ſolis animæ operationib. colligi, ſed oportet vti aliquo principio cōi aliis agentibus, vel effectibus creatis, de quo mox videbimus. Igitur ex hoc medio phyſico, vt phyſicum eſt, non demōſtratur dari vnū ens increatum. At verò, ſupponendo habere animam ſuperiorē cauſam ſui eſſe, q̃ primum ens, aut Deū appellamus, optimè quidem colligitur, ſi aīa eſt intellectualis, libera, imaterialis, immortalis, & ſimilia, quæ perfectionē ſimpliciter dicunt, multo magis hæc oīa in Deo reperiri: tñ hæc ipſa collectio fundanda eſt in medio Metaphyſico, ac generali principio, ꝙ perfectiones effectus ſunt nobiliori modo in cā principali, & ꝑ B ſertim in prima, demonſtratio aūt propriè ad illam ſcientiā pertinet, ad q̃ mediū demonſtrationis ſpectat. Adde, quod attinet ad attributum immaterialitatis, ex hoc precīſo medio non poſſe inferri Deum eſſe omnino immaterialē, ſed ad ſūmū ad modū animæ rōnalis. Cōcludimus ergo oīa media phyſica per ſe eſſe inſufficientia ad demonſtrādū eſſe aliquod primū ens increatū: imò obiter ēt eſt oſtenſum per ſe non ſufficere ad demonſtrandū, quid, vel quale ſit illud ens eo modo quo per effectus demonſtrari poteſt, ſed hoc ſemper ad Metaphyſicum pertinere. Simul tamē eſt aliquo modo declaratum, quo modo Philoſophia paret aliqualiter viam, & occaſionem præbeat, & aliquos etiam effectus ſubminiſtret, quibus ad huiuſmodi conficiendam demonſtrationem iuuet, quod magis in ſequentib. exponetur.

Expenduntur rationes, & media metaphyſica.

XX. SVpereſt, vt ſecundo loco oſtendamus, quō metaphyſica pōſſit demōſtrare eſſe aliquod ens increatum. Quod breuius inſinuabimus, qa in præcedēte diſput. Sect. 1. ferè omnia tacta ſunt C quę hic dici poſſent. Primò igitur, loco illius principii phyſici, [Omne qđ mouetur, ab alio mouetur,] ſumendum eſt aliud Metaphyſicum longè euidentius: [Omne quod fit, ab alio fit:] ſiue creetur ſiue generetur, ſiue quacunq; rōne fiat. Quod principium ex eo demonſtratur, ꝙ nihil pōt efficere ſe. Nam res quæ fit, per effectionem acquirit eſſe: res aūt quæ facit aut producit, ſupponit habere eſſe, & iō claram repugnantiā inuoluit, ꝙ idē faciat ſe ipſum: prius. n. q̃ res ſit, non pōt eſſe in actu formali, vel virtuali ad faciendum ſe: & hac de cā eſt longè euidētius hoc principiū, [Omne quod producitur, ab alio producitur,] q̃ de illo, [Omne qđ mouetur ab alio mouetur:] nam qđ mouetur, ſupponitur eſſe, in quo eſſe pōt intelligi actus virtualis ad ſe mouendū: qđ aūt efficitur nō ſupponitur eſſe, ſed potius ſupponitur nō eſſe anteq̃ fiat, in ipſo aūt non eſſe non pōt eſſe virtus ad ſe efficiendū, & iō eſt euidens illud principiū propriè intellectū de prima ac vera effectione, vt abſtineam⁹ nūc ab illa q. Theol. An eadē res poſ-